


V. *Mediocre latus mediocri Angulo subtenditur; & contra.*

Ita AC latus, quod latere CB majus, latere autem AB minus, ideoq; mediocre est, opponitur angulo ABC, qui angulo CAB major, angulo autem ACB minor, & hoc nomine etiam mediocris est.



VI. *Latera equalia subtenduntur equalibus angulis, & contra; Inæqualia autem inæqualibus, & contra.*

Ita in Triangulo ABC Æquilatero, omnes etiam anguli sunt æquales, ob latera omnia æqualia. In Triangulo autem DEF Inæquilatero, ob laterum inæqualitatem; omnes etiam anguli sunt Inæquales.



Ex his Problematibus evidens & manifestum fit: *Omne Triangulum Æquilaterum esse quoq; Æquiangulum, & contra: Omne Triangulum Inæquilaterum esse etiam Inæquiangulum, & contra: In omni Triangulo Æquicraro duo latera equalia arguere & duos angulos sibi oppositos æquales; & contra.*

Quin & cum promptius sit Examen laterum, quam angulorum, vel oculorum judicio, facilimum ex his Problematibus fuerit angulos dubios internoscere, utrum æquales, an verò inæquales sint. Ita enim in Triangulo DEF Inæquilatero anguli ad D & F sunt dubij uter reliquo sit major, aut num æquales sint planè. Ex hypothesi constat, Triangulum esse Inæquilaterum, erit itaq; etiam *per antecedentia* Inæquiangulum: atq; ideò anguli ad D & F inæquales: eritq; ille angulus, major qui majori lateri opponitur; nimirum angulus EDF cui latus EF majus subtenditur: alter autem DFE, qui latus Minus DE oppositum habet, erit necessariò minor.

Quo.